MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81600-2

*AUTHOR:*

# [VAHLEN, JOHANN]

*TITLE:*

# [PLATONIS DE RE PUBLICA]

*PLACE:*

# BEROLINI

*DATE:*

# [1876]

Master Negative #

93-81600-2

# COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
# PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Vahlen, Johannes, 1830-1911.
[De rep. II 372 E.] Berolini [1876].
8 p. 25 cm.

Title from Engelmann. Bibliotheca script. classic.

On cover: Index lectionvm qvae...in Vniversitate litteraria Friderica Gvilelma... 1875-76 habebvntvr.

Volume of pamphlets



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7 1993 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# INDEX

# LECTIONVM

QVAE

AVSPICIIS REGIS AVGVSTISSIMI

## GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

## VNIVERSITATE LITTERARIA

## FRIDERICA GVILELMA

### PER SEMESTRE HIBERNVM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXV
VSQVE AD D. I. M. APRILIS A. MDCCCLXXVI

HABEBVNTVR.

BEROLINI
FORMIS ACADEMICIS
(G. VOGT).

# VNIVERSITATIS LITTERARIAE
## FRIDERICAE GVILELMAE
# RECTOR ET SENATVS.

Divinum opus est Platonis de re publica, quo cum ille civitatem humanam qualem esse optaret non tam tenuibus lineis adumbraret quam expressa imitaretur specie, quidquid de rebus humanis divinisque sibi persuasisset iucunda sermonum varietate amplexus est ita ut ambigas utrum maiestatem veritatemque sentiendi magis an nativam dicendi gratiam ac venerem admirere. Qui libri etsi multorum omni aetate lectorum assiduitatem experti sunt, a vetustatis situ hominumque inscitia grassari solita in libros quos viritim publicus usus tereret raro exemplo immunes extiterunt. Quem enim quasi numen quoddam aliquamdiu in terris commoratum esse summus poeta noster praedicabat, ei hanc quoque divinitus obtigisse sortem credideris ut quae condiderat ingenii monumenta sordibus humanis intaminata sua perpetuo integritate niterent. Nec tamen nihil ut illa labis traxisse videantur, sed si quae forte aut hominum sedulitate aut fortunae lusu adspersae sunt maculae, eas advocatis qui adhuc super sunt sincerae scripturae testibus scriptorisque sentiendi dicendique proprietate explorata aut esse iam sublatas aut sublatum iri confidimus. Cui rei cum olim multi laudabilem curam adhibuerint, tum nuper duo viri Graeci sermonis scientia et artis criticae peritia pariter insignes cum ad emendandum Platonem se darent his quoque de re publica libris praeclaram navarunt operam, ut vel ibi ubi praeter necessitatem fortasse moliri

emendationem videntur interpretis certe officium esse relictum patefaciant. Horum nonnulla cum per has scribendi occasiones disceptare in animo sit, initium nunc disserendi faciemus a vindicanda bella quae nobis visa est sententia sed nuper varie a criticis in discrimen vocata.

Namque Socrates in secundo de re publica posteaquam quae urbi hominumque vitae necessaria essent quibusque ea carere omnino non posset exposuit, contra dicente Glaucone videri iis porcinam potius quandam quam humanam vitam informari, ille rursus solita sua urbanitate, quoniam non ut ipse putarit simplicis ac sanae civitatis species sed luxuriantis atque adeo turgescentis desideretur, quibus ea illecebris elegantiisque sit impertienda enarrat, ut ita dicat (372 e) ἡ μὲν οὖν ἀληθινὴ πόλις δοκεῖ μοι εἶναι ἣν διεληλύθαμεν ὥσπερ ὑγιής τις· εἰ δ᾽ αὖ βούλεσθε καὶ φλεγμαίνουσαν πόλιν θεωρήσωμεν, οὐδὲν ἀποκωλύει. ταῦτα γὰρ δή τισιν ὡς δοκεῖ οὐκ ἐξαρκέσει οὐδ᾽ αὕτη ἡ δίαιτα, ἀλλὰ κλῖναί τε προσέσονται καὶ τράπεζαι καὶ τἆλλα σκεύη, καὶ ὄψα δὴ καὶ μύρα καὶ θυμιάματα καὶ ἑταῖραι καὶ πέμματα, ἕκαστα τούτων παντοδαπά. καὶ δὴ καὶ ἃ τὸ πρῶτον ἐλέγομεν οὐκέτι τἀναγκαῖα θετέον, οἰκίας τε καὶ ἱμάτια καὶ ὑποδήματα, ἀλλὰ τήν τε ζωγραφίαν κινητέον καὶ τὴν ποικιλίαν καὶ χρυσὸν καὶ ἐλέφαντα καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα κτητέον. In harum igitur rerum ad victum pertinentium serie interpositam ἑταιρῶν commemorationem, quam olim veteres interpretes facile tulerunt, nuper acriores critici addubitare coeperunt et semel mota suspicione vitii ut fit alii aliud quod illis repudiatis substituerent divinando asciverunt. Atque ut omittamus Stallbaumii commentum satis inficetum — nam nec recte nec apte θυμιάματα καὶ ἕτερα πέμματα dici apparet — ceteri consultius quod commode cum πέμματι coniungeretur cibi genus circumspexerunt. Et G. G. Nitzschius quidem qui princeps ἑταίρας loco movendas censuit ἀθῆραι scribi iussit, quod cibi nomen Aristophanes posuit in Pluto 673 ἀλλά με Ἀθάρης χύτρα τις ἐξέπληττε κειμένη Ὀλίγον ἄπωθεν τῆς κεφαλῆς του γραδίου grammaticique cum alii explicuerunt tum is cuius συναγωγὴν λέξεων χρησίμων in Anecdotis edidit Bekkerus p. 351, 12 paulo plenius in hunc modum declaravit ἔστι δὲ ἀθάρη (sive ἀθήρα) ἡ ἐκ πυρῶν ἡψημένων καὶ διακεχυμένων ὥσπερ ἔτνος τροφή· διαφέρει δὲ τοῦ ἔτνους ὅτι τὸ μὲν ἔτνος ἐκ κυάμων ἢ πισῶν ἢ ἁπλῶς κατερικτῶν ὡντινωνοῦν σκευάζεται, ἡ δὲ ἀθάρη ὥσπερ εἴρηται πυρων ἡψημένων καὶ διακεχυμένων apposito cum Aristophanis versu de Pluto tum altero Cratetis ex Heroibus οὐκοῦν ἔτνους χρὴ δεῦρο τρυβλίον φέρειν Καὶ τῆς ἀθάρης. Richterus autem profectus a scholiastae verbis quae ad haec Platonis de re publica (5, 455 c) τὴν τῶν ποπάνων τε καὶ ἑψημάτων θεραπείαν adscribuntur ἕψημά ἐστιν ὃ ἔνιοι ἐραῖον καλοῦσιν, οἱ δὲ γλυκύ Platoni et huic ipsi loco vindicavit ἐραῖα, ut haec nunc cum πέμμασιν eundem in modum copularentur quo illic ἑψήματα et πόπανα composita leguntur. Denique Madvigius ut exemplum consilio factae interpolationis ostenderet ἐσχαρῖται qui fuissent librarii errore ignotum sibi vocabulum corrigere cupientis abiisse in ἑταίρας persuadere studuit. Sed ἀθῆραι vocabulum cum parum ad traditam scripturam accedat tum hanc cibi speciem ἔτνει comparabilem ab hoc deliciarum recensu alienam fuisse ipsa quae adscripsimus testimonia satis putamus probare. Longe illi praestat Madvigii coniectura, sed ea tamen ipsa quamvis sit speciosa et singularem eius viri plurimisque exemplis spectatam divinandi sollertiam probet veremur ut omnem dubitationem consopiat. Etenim πέμματα constat universe omnia bellaria vocari, quemadmodum τραγήματα quae supra 372 e Plato simili consilio missis θυμιάμασιν et μύροις sola cum solis ὄψοις composuit, ἐσχαρίτην autem, Rhodium certe qui valde laudabatur, cum inter panum species recensens Pollux onom. 6, 78 μεθόριον ἄρτου καὶ πλακοῦντος fuisse dicat, facile credimus et ipsum πεμμάτων genere comprehendi. Quod si ita est quam probabile videbitur, cum Plato quattuor genera quibus lautioris convivii apparatum designet ὄψα μύρα θυμιάματα πέμματα selegerit, his coniectando quintum immisceri non quod quintum genus sed speciem quarti afferat. Scholiastam vero Platonis non ἐραῖον voluisse sed σίραιον sive σείραιον — utroque enim modo sed frequentius illo scribitur in libris — cum Hesychii qui iisdem illis verbis ἕψημα explicat similiaque ad σίραιον vocem adscribit, tum aliorum scriptorum testimoniis docemur, quorum nonnulla non neglecto Platonis scholiasta ad Hesychium suum attulit M. Schmidtius. Iam cum σίραιον inter ἀρτύματα sive ἡδύσματα ciborum recenseatur apud comicos quorum versus Athenaeus perscribit 2, 68 a et 4, 170 a b, possis Platoni σίραια

restituere velle, haec ut superioribus illis 372 c tamquam exquisitiora opponantur; tamen et de plurali dubitamus nec condimenti unius praesertim definiti hunc satis aptum esse locum censemus. Atqui nunc non ἐσχαρῖται nec ἀθῆραι aut σίραια legimus sed legimus ἑταῖραι, amicarum autem mentionem in his cavillandis convivii lautitiis non praeteriri, quis mirabitur qui moris Graeci meminerit aut quid huic urbanitati Socratis conveniat reputaverit. An nihil ad hanc rem valere putamus quod Plato ipse scribit de re publica (9, 573 d) τὸ μετὰ τοῦτο ἑορταὶ γίγνονται παρ' αὐτοῖς καὶ κῶμοι καὶ θαλίαι καὶ ἑταῖραι καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα ὧν ἂν ὁ Ἔρως τύραννος ἔνδον οἰκῶν διακυβερνᾷ τὰ τῆς ψυχῆς ἅπαντα aut in Theaeteto (173 d) καὶ σύνοδοι καὶ δεῖπνα καὶ σὺν αὐλητρίσι κῶμοι? Et possunt ad eandem declarandam consuetudinem afferri alia aliorum velut Theocriti id. 14 et Platonis ultro offertur memoria symposii (176 e, 212 c d) Socraticaeque disputationis in Protagora (347 d). Nec Graeci solum ita sed etiam Romani convivari solebant, quorum, ut hoc utamur, Catullus sic cum amico iocatur suavissime *Cenabis bene, mi Fabulle, apud me Paucis, si tibi di favent, diebus, Si tecum attuleris bonam atque magnam Cenam non sine candida puella Et vino et sale et omnibus cachinnis.* Ne ad artificia deflectamus hanc partem vitae cultioris affabre simulantia, quorum unum valde ad hunc usum accommodatum in Guhlii Konerique libro pereleganti proponitur p. 294. Quid multa? Haec adeo in promptu sunt et comperta ut neminem in ea ἑταιρῶν appellatione haesurum fuisse arbitremur nisi mediae inter θυμιάματα et πέμματα quasi et ipsae quoddam scitamentorum genus interpositae puellae severiorum criticorum aciem in se convertissent; eum vero ordinem adeo insipidum habuerunt, ut quovis pacto extirpandas potius ἑταίρας censerent quam tali naevo deturpari Platonis orationem paterentur. At vero προσεῖναι tam recte ἑταῖραι dicuntur quam θυμιάματα et μύρα, et quod cum rebus uno tenore copulatur personarum commemoratio, eius rei exemplum offerunt vel modo adscripta verba ex nono de re publica, quibus quod nonnulli ἑταιρίας maluerunt quam ἑταίρας cum κώμοις et θαλίαις coniungi, concinnitatem dum adiuvare student proprietatem dicendi nihil pensi habuerunt; denique ordinem eum ipsum,



quo bellariis unguentis suffimentis non tam in cumulum adduntur amicae sed iis mediae tamquam eiusdem generis consortes inseruntur, consulto praeoptasse Platonem manifesto declarant ea quae in simili causa disputantur in tertio de re publica. De arte gymnastica agitur qua excoli debeant qui aliquando custodes urbis sint futuri: vitam igitur victumque qui cum hac arte coniunctus et huic maxime generi hominum necessarius sit, ita cum Glaucone recognoscit Socrates (404 b) Ἁπλῆ που καὶ ἐπιεικὴς γυμναστικὴ καὶ μάλιστα ἡ τῶν περὶ τὸν πόλεμον. Πῇ δή; Καὶ παρ' Ὁμήρου, ἦν δ' ἐγώ, τά γε τοιαῦτα μάθοι ἄν τις. οἶσθα γάρ, ὅτι ἐπὶ στρατείας ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἑστιάσεσιν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς, ἃ δὴ μάλιστα ἂν εἴη στρατιώταις εὔπορα· πανταχοῦ γὰρ ὡς ἔπος εἰπεῖν αὐτῷ τῷ πυρὶ χρῆσθαι εὐπορώτερον ἢ ἀγγεῖα ξυμπεριφέρειν. Καὶ μάλα. Οὐδὲ μὴν ἡδυσμάτων ὡς ἐγᾦμαι Ὅμηρος πώποτε ἐμνήσθη· ἢ τοῦτο μὲν καὶ οἱ ἄλλοι ἀσκηταὶ ἴσασιν, ὅτι τῷ μέλλοντι σώματι εὖ ἕξειν ἀφεκτέον τῶν τοιούτων ἁπάντων; Καὶ ὀρθῶς γε, ἔφη, ἴσασί τε καὶ ἀπέχονται. Συρακοσίαν δή, ὦ φίλε, τράπεζαν καὶ Σικελικὴν ποικιλίαν ὄψων ὡς ἔοικας οὐκ αἰνεῖς, εἴπερ σοι ταῦτα δοκεῖ ὀρθῶς ἔχειν. Οὔ μοι δοκῶ. Ψέγεις ἄρα καὶ Κορινθίαν κόρην φίλην εἶναι ἀνδράσι μέλλουσιν εὖ σώματος ἕξειν. Παντάπασι μὲν οὖν. Οὐκοῦν καὶ Ἀττικῶν πεμμάτων τὰς δοκούσας εἶναι εὐπαθείας; Ἀνάγκη. In qua sermonis particula quam apponendam totam duximus, quod nonnullos κόρην codicis alicuius testimonio nisos deletum ivisse narratur, mirari sane subit, quoniam apparet ea voce sublata tolli urbanitatem orationis, sed magis fortasse mirum videbitur, quod fuerunt qui Κορινθίαν κόρην cupediorum quoddam genus dici opinarentur; sic enim (*gourmandise Corinthienne*) olim interpres Gallicus vertit contra quem Ruhnkenius dicit in opusculis 1, 235 Bergm. nec aliter Turicenses explicant in onomastico Platonico. Videlicet eodem hi errore ducuntur quo ii qui illo altero loco ἑταίρας cum ἐσχαρίταις et similibus commutatas voluerunt. Nos Κορινθίαν κόρην intelligimus ἑταίραν, quam rursum cum deliciis mensae compositam voluit Socrates eique inter opsonia Sicula Syracusanasque dapes et Attica bellaria sedem nimirum mediam assignavit: ut haec quidem series rerum quibus delicatior vita frui soleat nihil discedat ab illa, nisi eo, quod quae ibi genera-

tim ponuntur eorum nunc species quaedam insigniores a suis quaeque urbibus terrisque nomen acceperint. Tenebimus igitur ipso iubente Platone hunc ordinem rerum nominumque *προτέτενται καὶ τράπεζαι . . . καὶ ὄψα δὴ καὶ μύρα καὶ θυμιάματα καὶ ἑταῖραι καὶ πέμματα* amabimusque in his quoque illam admirabilem in omni genere Platonis venustatem. Nam quae his subiiciuntur verba *ἕκαστα τούτων παντοδαπά*, iis non iam veremur ne quis ita abutatur ut *ἑταίρας* de modo firmius occupata sede rursus deturbet: quae varietas etsi maxime cadit in proxime ante nominata *πέμματα*, tamen eadem communis est opsoniis et unguentis et suffimentis, denique *ἑταίραις*, quarum sunt aliae *ὀρχηστρίδες* aliae *αὐλητρίδες* aut *ψαλτρίαι* multisque modis informari varietas potest.

Haec nunc selegimus quae academicarum lectionum per proximam hiemem habendarum tabulis praefaremur minuta illa sane ac levidensia, sed non iniucunda fortasse iis si qui Platonis amore ac studio tenentur. Finem autem prolusioni nostrae imponemus ita ut commilitones quorum haec usui maxime destinata sunt, ad Platonis libros naviter liberoque iudicio pervestigandos vocemus, et hos autem et reliquos omnes qui in hac universitate litteraria liberales artes sectantur commonefaciamus, a Platone ut sibi persuaderi patiantur, esse revera quas ille divinitus praedicavit boni veri pulchri *ἰδέας*, quibus sublatis ex rerum natura, ne dubitent quin vel politissima vita nihil sit a barbarie discessura.

Scr. Berolini m. Aprili MDCCCLXXV.

# LECTIONES.

## I. ORDINIS THEOLOGICI.

### 1. *Professorum ordinariorum.*

A. Dillmann, Dr.

I. Publice syntaxin linguae Hebraicae docebit d. Sat. h. IX-XI.

II. Privatim 1) introductionem in Veteris Testamenti libros canonicos et apocryphos tradet quinquies p. hebd. h. IX-X; 2) librum Psalmorum interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI.

I. A. Dorner, Dr.

I. Privatim 1) dogmaticen specialem seu fidei Christianae partem alteram sexies p. hebd., d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X-XI, d. Sat. h. IX-XI tradet; 2) epistolam a Paulo apostolo ad Romanos datam quater p. hebd. h. XII-I interpretabitur.

II. Privatissime et gratis societatem theologicam d. Iov. h. vesp. VIII-X sueto more moderari perget.

O. Pfleiderer, Dr.

I. Publice historiam theologicae philosophicae inde a Lessingio et Herdero enarrabit d. Sat. h. IV-VI.

II. Privatim 1) theologiam biblicam Novi Testamenti quinquies p. hebd. h. IV-V docebit; 2) synopsin evangeliorum quinquies p. hebd. h. V-VI exponet.

C. Semisch, Dr.

I. Publice Augustini confessiones commilitonibus explicandas proponet d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim 1) historiae ecclesiasticae partem secundam enarrabit sexies p. hebd. h. VIII-IX; 2) historiam dogmatum Christianorum exponet sexies p. hebd. h. IX-X.

F. L. Steinmeyer, Dr.
I. Publice historiam passionis atque resurrectionis Domini nostri Iesu Christi secundum quattuor evangelia binis p. hebd. recitationibus d. Mart. et Ven. h. III-IV explicabit.
II. Privatim systema theologiae practicae quinis scholis h. IV-V docebit.
III. Privatissime et gratis institutiones homileticas ad praxin pertinentes d. Lun. h. III exhibebit.

A. Twesten, Dr.
I. Publice decalogum explicabit d. Merc. h. XII-I.
II. Privatim 1) principia ecclesiae evangelicae symbolica secundum confessionem Augustanam exposita cum aliarum ecclesiarum sectarumque doctrinis comparabit et contra dissentientes vindicabit quinis p. hebd. scholis h. XI-XII; 2) epistolam Pauli ad Colossenses datam interpretabitur d. Mart. et Iov. h. XII-I.

---

B. Brveckner, Dr. Prof. honorarius.
Scholas postmodum indicabit.

## 2. *Professorum extraordinariorum.*

F. Benary, Dr.
I. Publice carmina libris Veteris Testamenti historicis inserta explicabit d. Sat. h. XI-XII.
II. Privatim Genesin interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI.

H. G. P. Kleinert, Dr.
I. Privatim Isaiae librum propheticum interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI.
II. Privatissime et gratis disputationes exegeticas dogmaticas moderabitur d. Lun. h. vesp. VIII-X.

H. Messner, Dr.
I. Publice Pauli apostoli epistolam ad Galatas scriptam exponet d. Sat. h. XI-I.
II. Privatim epistolas Pauli apostoli ad Corinthios datas interpretabitur quinquies p. hebd. h. XI-XII.

F. Piper, Dr.
I. Privatim historiae ecclesiasticae partem priorem tractabit quinquies p. hebd. h. XI-XII.
II. Privatissime et gratis exercitationes archaeologicas et patristicas in museo Christiano moderari perget in iisque primordia historiae biblicae et vitam Iesu e monumentis illustrabit d. Lun. et Iov. h. XII-I.

I. C. W. Vatke, Lic.
I. Publice de aliquot locis dogmaticis disseret d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim introductionem in libros Novi Testamenti tradet sexies p. hebd. h. XI-XII.



## 3. *Privatim docentium.*

Th. C. E. Frommann, Lic.
I. Gratis historiam ecclesiae hierarchicae saeculi xv., humaniorum quibus eadem aetate litterae artesque colebantur studiorum praecipua ratione habita, delineabit, d. et h. postmodum definiendis.
II. Privatim historiam ecclesiasticam novissimi temporis inde ab anno 1648 usque ad annum 1815 enarrabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I.

S. Lommatzsch, Lic.
I. Gratis 1) de Schleiermacheri vita, scriptis, doctrina disseret d. Merc. h. XII-I; 2) doctrinam de ecclesia secundum publica ecclesiarum evangelicarum symbola ratione theologiae dogmaticae habita exponet d. Sat. h. definienda.
II. Privatim apologeticen sive dogmatices Christianae partem universalem et philosophicam docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I.
III. Privatissime et gratis exercitationes dogmaticas et symbolicas moderari perget d. Iov. h. vesp. VII-IX.

C. H. Chr. Plath, Lic.
I. Gratis statisticam ecclesiasticam docebit d. Ven. h. V-VI.
II. Privatissime et gratis disputationes de Muhammedanismo moderabitur d. Ven. h. VI-VII.

P. W. Schmidt, Lic.
I. Gratis historiam pietismi et rationalismi enarrabit d. Merc. h. XI-XII.
II. Privatim historiae ecclesiasticae partem priorem tractabit d. Mart. et Iov. h. XI-I, d. Merc. h. XII-I.
III. Privatissime et gratis in societate sueto more moderanda Lessingii scripta theologica disputando cum commilitonibus percurret d. Merc. h. vesp. VIII-X.

# II. ORDINIS IVRIDICI.

## 1. *Professorum ordinariorum.*

A. F. Berner, Dr.
I. Publice ius preli Germanicum exponet d. Merc. h. XI-XII.
II. Privatim 1) ius naturae seu philosophiam iuris cum fundamentis scientiarum politicarum d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII; 2) ius criminale ad librum suum „Lehrbuch des Deutschen Strafrechts“ dialogice d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I; 3) processum criminalem d. Merc. h. XII-I, d. Sat. h. XI-I docebit.

G. Beseler, Dr.

Privatim ius Germanicum privatum iuncto iure feudali nec non commerciorum et cambiali secundum librum suum „System des gemeinen Deutschen Privatrechts, ed. III" d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX-XI tradet.

H. Brvnner, Dr.

I. Privatim historiam imperii et iuris Germanici d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII enarrabit.

II. Privatissime et gratis 1) exercitationes iuris Germanici privati die et hora definiendis; 2) exercitationes in seminario iuridico die et hora definiendis instituet.

C. G. Brvns, Dr.

I. Publice exercitationes in seminarii iuridici sect. Romana d. Iov. h. VI-VIII instituet.

II. Privatim ius pandectarum practicum quotidie h. IX-XI docebit.

H. Dernbvrg, Dr.

I. Publice ius obligationum Romanum et hodiernum comparabit d. Merc. h. VI-VII.

II. Privatim 1) institutiones iuris Romani d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX-X; 2) historiam et antiquitates iuris Romani iisdem diebus h. X-XI; 3) ius commune Borussicum docebit d. Mart. et Ven. h. IV-VI; 4) exercitationes practicas iuris civilis instituet d. Lun. et Iov. h. XI-XII.

H. R. H. F. Gneist, Dr.

I. Publice ius administrationis publicae Borussicum d. Sat. h. X-XII tradet.

II. Privatim 1) ius hereditarium Romanum d. Merc. h. XI-I, d. Sat. h. XII-I; 2) ius publicum Germanicum d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII; 3) processum civilem Germanicum speciali ratione habita novi codicis Germanici d. Merc. et Sat. h. IV-VI docebit.

Th. Goldschmidt, Dr.

Privatim ius commerciorum nec non ius cambiale, maritimum et assecurationum docebit quotidie h. X-XI.

A. W. Heffter, Dr.

I. Publice Gaianarum institutionum commentarium IV interpretabitur d. Merc. h. XII-I.

II. Privatissime introductioni in praxin forensem operam navabit adiunctis exercitationibus d. Merc. h. XI-XII et aliis praeterea horis definiendis.

F. C. P. Hinschivs, Dr.

I. Privatim docebit 1) ius civile Borussicum d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I; 2) ius ecclesiasticum catholicorum et protestantium d. Merc. et Sat. h. XI-I; 3) processum civilem communem ratione habita iuris Borussici et novi codicis Germanici exercitationibus practicis adhibitis tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII.

II. Privatissime et gratis 1) exercitationes iuris ecclesiastici et canonici d. Ven. h. VI-VII instituet; 2) exercitationes canonicas in seminario iuridico hor. def. moderabitur.



## 2. *Professorum extraordinariorum.*

I. Baron, Dr.

I. Privatim docebit 1) encyclopaediam et methodologiam iuris d. Merc. h. IX-XI, d. Sat. h. X-XI; 2) institutiones iuris Romani d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX-X; 3) historiam et antiquitates iuris Roman iisdem diebus h. X-XI; 4) repetitorium et examinatorium iuris Romani instituet d. Lun. Iov. Ven. h. III-V.

II. Privatissime et gratis locos selectos ex Gaio interpretabitur d. Lun. h. VII½-IX½ vesp.

de Cvny, Dr.

I. Publice enarrabit principia processus civilis Francogallici d. Lun. h. VI-VII.

II. Privatim ius civile Francogallicum d. Merc. et Sat. h. IX-XI docebit.

O. Dambach, Dr.

I. Publice 1) constitutionem imperii Germanici interpretabitur d. Sat. h. VI-VII; 2) de capitis poena disseret d. Merc. h. VI-VII.

II. Privatim 1) ius gentium d. Lun. Iov. Ven. h. IX-X; 2) ius criminale d. Lun. Iov. h. IV-VI docebit.

G. Lewis, Dr.

I. Publice speculum Saxonicum interpretabitur d. Sat. h. IV-V.

II. Privatim 1) encyclopaediam et methodologiam iuris d. Merc. h. IV-VI et d. Sat. h. V-VI; 2) historiam imperii et iuris Germanici d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V-VI; 3) ius ecclesiasticum cum iure matrimoniali d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV-V docebit.

## 3. *Privatim docentium.*

A. Franken, Dr.

I. Gratis ius tutelae Francogallicum necnon Borussicum docebit hor. def.

II. Privatissime repetitoria offert sive vernaculo sive latino sermone.

E. T. Rvbo, Dr.

I. Gratis iuris criminalis atque processus criminalis exercitationes practicas d. Merc. h. V-VI instituet.

II. Privatim 1) ius criminale, iure Germanico criminali militari incluso, d. Mart. et Ven. h. V-VII docebit; 2) processum criminalem secundum legem propositam de processu criminali generali d. Mart. Merc. Sat. h. IX-X.

R. Ryck, Dr.

Gratis ordinem iudiciorum privatorum Romanorum cum processu civili Anglico et Francogallico comparatum d. Ven. h. V-VI tradet.

F. E. M. Schmidt, Dr.

I. Privatim encyclopaediam et methodologiam iuris d. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII docebit.

II. Privatissime cum ceterarum iuris partium tum iuris publici et gentium nec non historiae recentioris ita ut ratio iuris publici et gentium habeatur repetitoria et examinatoria sive vernaculo sive Latino sive Francogallico usurus sermone petentibus offert.

# III. ORDINIS MEDICI.

## 1. *Professorum ordinariorum.*

H. A. Bardeleben, Dr.
I. Publice de vulneribus disseret d. Sat. h. XI-XII.
II. Privatim 1) chirurgiam docebit quinquies p. hebd. h. XI-XII; 2) clinicen chirurgicam in R. nosocomio Caritatis moderabitur sexies p. hebd. h. IX-XI.

Æ. du Bois-Reymond, Dr.
I. Publice de anthropologia physica d. Lun. h. VI-VII disseret.
II. Privatim alteram physiologiae partem experimentis illustrabit d. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. IX-X.
III. Privatissime exercitationes physiologicas in laboratorio physiologico moderabitur.

C. G. Ehrenberg, Dr.
Valetudine restaurata lectiones habebit.

F. Th. Frerichs, Dr.
Privatim 1) pathologiam et therapiam specialem tradet ter p. hebd. h. XII-I; 2) clinicen medicam in nosocomio Caritatis sexies p. hebd. h. XI-XII moderabitur.

A. Hirsch, Dr.
Privatim 1) historiam universalem artis medicae d. Lun. Mart. Iov. h. IV-V; 2) pathologiam et therapiam specialem d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. V-VI docebit.

I. C. Ivengken, Dr.
I. Publice de corporis humani herniis disseret d. Merc. et Sat. h. V-VI.
II. Privatim chirurgiam generalem et specialem docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V-VI.

B. de Langenbeck, Dr.
Privatim 1) aciurgiam cum demonstrationibus chirurgicis et anatomicis coniunctam docebit ter p. hebd. h. XII-I; 2) clinicen chirurgicam in nosocomio Regio universitatis clinico moderabitur sexies p. hebd. h. II-III.

M. E. O. Liebreich, Dr.
I. Publice urinae chemiam cum experimentis exponet d. Lun. h. V-VI.
II. Privatim materiam medicam et artem formulas scribendi docebit cum experimentis d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV-V.
III. Privatissime exercitationes pharmacologicas in laboratorio instituti pharmacologici moderabitur quotidie h. IX-III.



E. Martin, Dr.
Privatim 1) gynaecologiam una cum arte obstetricia tradet quotidie h. V-VI; 2) scholas clinicas obstetricias et gynaecologicas tam in lechodochio Regio et in nosocomio Caritatis quam in instituto policlinico moderabitur quotidie h. IX½-XI.

C. B. Reichert, Dr.
I. Publice 1) histologiam theoreticam exponet d. Lun. h. XI-XII; 2) anatomiam encephali et medullae spinalis docebit d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim 1) anatomiam universam corporis humani exponet sexies per hebd. h. I-II; 2) corporis humani texturam et structuram microscopicam demonstrabit dieb. et hor. def.; 3) exercitationes anatomicas moderabitur quotidie h. IX-XII et h. II-IV.

C. Schweigger, Dr.
I. Privatim 1) clinicen et policlinicen ophthalmiatricam, clinicen in nosocomio Caritatis d. Lun. Merc. Ven. Sat. h. XII-I, policlinicen Marien-Str. 23 sexies h. I-II moderabitur; 2) de morbis intraocularibus d. Mart. et Iov. h. XII-I aget.
II. Privatissime cursum operationum ophthalmiatricarum d. Merc. et Sat. h. XI-XII instituet.

L. Travbe, Dr.
Privatim clinicen propaedeuticam sexies per hebd. h. IX½-XI in nosocomio Caritatis moderabitur.

R. Virchow, Dr.
I. Privatim pathologiam et therapiam generalem anatomia pathologica generali adiuncta tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. I-II.
II. Privatissime instituet 1) cursum anatomes et microscopiae pathologicae demonstrationibus declaratae nec non artis cadavera morbosa secandi d. Lun. Merc. Sat. h. VIII-X mat.; 2) cursum histologiae pathologicae practicum d. Mart. Iov. Ven. h. VIII-X mat.

C. Westphal, Dr.
I. Publice morbos systematis nervosi docebit semel p. hebd. hor. adhuc def.
II. Privatim clinicen morborum systematis nervosi et animi in nosocomio Caritatis moderabitur d. Lun. Merc. Sat. h. VIII½-X.

## 2. *Professorum extraordinariorum.*

E. Albrecht, Dr.
Privatim 1) morbos dentium et oris explicabit d. Lun. Iov. Sat. h. VI-VII; 2) policlinicen odontiatricam moderabitur quotidie h. II-III.

G. Fritsch, Dr.
I. Publice parasitorum inprimis humanorum historiam naturalem demonstrationibus coniunctis d. Merc. h. V-VI tradet.
II. Privatim encheiresin hodiernam histologiae microscopii ope investigandae exercitiis practicis coniunctis bis p. hebd. hor. def. docebit.

E. Gvrlt, Dr.

I. Privatim de ossium fracturis et luxationibus iunctis demonstrationibus d. Merc. et Sat. h. IV-V disseret.

II. Privatissime cursum operationum chirurgicarum in cadavere instituendarum h. IX-XI offert.

R. Hartmann, Dr.

I. Publice anatomen organorum sensuum d. Ven. h. III-IV docebit.

II. Privatim osteologiam et syndesmologiam humanam d. Ven. et Sat. h. IX-X tradet.

E. Henoch, Dr.

Privatim 1) clinicen morborum infantium d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I; 2) policlinicen quotidie ab h. I in nosocomio Caritatis moderabitur.

H. Iacobson, Dr.

I. Publice de morbis pulmonum et cordis demonstrationibus adiunctis d. Merc. Sat. h. III-IV disseret.

II. Privatissime exercitationes pathologicas ter p. hebd. hor. postea def. moderabitur.

G. Lewin, Dr.

I. Publice policlinicen morborum cutis et syphiliticorum d. Mart. et Ven. h. I-II moderabitur.

II. Privatim clinicen morborum cutis et syphiliticorum d. Lun. Iov. h. I-II, d. Merc. Sat. h. XII-I.

C. Liman, Dr.

Privatim 1) medicinam forensem in usum iuris studiosorum adiunctis demonstrationibus docebit d. Merc. et Sat. h. X-XI; 2) medicinam forensem in usum medicinae studiosorum docebit d. Lun. et Iov. h. XII½-I½; 3) cursum obductionum medico-legalium et practicum forense in instituto Regio medico-forensi instituet h. I-III.

A. Lvcæ, Dr.

I. Publice cursum otoscopicum hor. postea def. offert.

II. Privatim policlinicen otiatricam in nosocomio regio universitatis clinico d. Mart. et Ven. h. X-XI moderabitur.

III. Privatissime cursum otiatrices iunctis operationibus demonstrativum hor. postea def. offert.

I. Meyer, Dr.

I. Publice de arte aegrotos examinandi disseret, accedent colloquia de selectis pathologiae et therapiae capitibus d. Sat. h. I-II.

II. Privatim exercitationes clinicas in instituto policlinico universitatis d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. I-II moderabitur.

H. Mvnk, Dr.

I. Publice 1) de physiologia generationis hominis atque animalium disseret d. Mart. h. V-VI; 2) colloquia moderabitur physiologica d. Mart. h. VI-VIII.

II. Privatim physiologiam nervorum ac musculorum generalem et specialem adiunctis experimentis quater p. hebd. docebit.



E. Salkowski, Dr.

I. Publice de chemia nutritionis disseret semel p. hebd. hor. def.

II. Privatim cursum de methodis analyticis chemiae physiologicae adiunctis exercitationibus ter vel quater p. hebd. hor. def. offert.

III. Privatissime exercitationes practicas in laboratorio chemico instituti pathologici moderabitur quotidie h. IX-V, d. Sat. h. IX-II.

C. Skrzeczka, Dr.

Privatim hygienen publicam et politiam medicam d. Mart. Iov. Ven. h. V-VI tradet.

L. Waldenbvrg, Dr.

Privatim 1) de percussione, auscultatione ceterisque explorandi methodis cursum practicum d. Mart. Ven. Sat. h. VI-VII habebit; 2) laryngoscopiam cursu practico d. Merc. h. VI-VII docebit.

### 3. *Privatim docentium.*

I. Bergson, Dr.

Per hoc semestre scholas non habebit.

M. Bernhardt, Dr.

I. Gratis 1) de connexu morborum systematis nervosi cum ceteris morbis; 2) de morbis systematis nervosi peripherici semel per hebd. hor. def. disseret.

II. Privatim cursum electrotherapiae instituet demonstrationibus adiunctis bis p. hebd. hor. postea def.

H. Bose, Dr.

I. Privatim de ossium fracturis et luxationibus demonstrationibus adiunctis disseret ter per hebd.

II. Privatissime cursum fasciarum ligandarum offert hor. def.

M. Bvrchardt, Dr.

I. Gratis 1) de morbis venereis d. Iov. h. V-VI; 2) de hygiene d. Merc. h. V-VI disseret.

II. Privatim de morbis cutis adiunctis demonstrationibus microscopicis d. Mart. et Ven. h. V-VI exponet.

F. Bvsch, Dr.

I. Gratis de morbis externis organorum genitalium et uropoeticorum d. Sat. h. II-III disseret.

II. Privatim anatomiam chirurgicam demonstrationibus adiunctis d. Lun. Iov. Sat. h. XII-I docebit.

III. Privatissime cursum fasciarum ligandarum offert.

I. Cohnstein, Dr.

I. Gratis gynaecologiam d. Merc. et Sat. h. I-II tradet.

II. Privatim artem obstetriciam theoreticam et practicam una cum cursu operationum obstetriciarum in machina instituendarum d. Mart. et Ven. h. V-VI docebit.

R. Cvrschmann, Dr.
Gratis 1) de microscopii usu ad cognoscendos et examinandos morbos internos demonstrationibus adiunctis d. Merc. et Sat. h. III-IV; 2) de entozois hominis et morbis per eos excitatis demonstrationibus adiunctis d. Lun. h. III-IV disseret.

C. A. Ewald, Dr.
I. Gratis de morbis cordis d. Ven. h. XII-I aget.
II. Privatissime percussionis et auscultationis disciplinam in nosocomio Caritatis quinquies p. hebd. h. IV-V tradet.

F. Falk, Dr.
I. Gratis 1) de mortis violentae modis d. Iov. h. VI-VII disseret; 2) capita selecta hygienes publicae d. Ven. h. VI-VII tradet.
II. Privatim historiam medicinae usque ad initium saeculi xix ter p. hebd. hor. def. exponet.

H. Fasbender, Dr.
I. Gratis gynaecologiam d. Mart. et Iov. h. XII-I docebit.
II. Privatim artem obstetriciam d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV-V tradet.
III. Privatissime cursum operationum obstetriciarum cum exercitationibus in machina instituendis d. Merc. et Sat. h. IV-V offert.

B. Fraenkel, Dr.
I. Gratis laryngoscopiam et rhinoscopiam adiunctis demonstrationibus d. Iov. h. VI-VII docebit.
II. Privatim pathologiam et therapiam specialem quotidie h. VIII-IX mat. tradet.
III. Privatissime cursus practicos laryngoscopiae et rhinoscopiae hor. def. offert.

O. Fraentzel, Dr.
I. Privatim auscultationis et percussionis artem exercitationibus adiunctis docebit quinquies p. hebd. d. Lun. Mart. Merc. Ven. h. XII-I.
II. Privatissime cursum laryngoscopicum d. Sat. h. XI-XII offert.

P. Gveterbock, Dr.
Gratis 1) cursum systematicum diagnoseos chirurgicae demonstrationibus illustratae hor. def. offert; 2) de theoria et therapia vulnerum sanandorum demonstrationibus experimentisque illustrata hor. def. disseret.

P. Gvttmann, Dr.
I. Gratis de morbis cordis adiunctis demonstrationibus d. Sat. h. II-III aget.
II. Privatim percussionem, auscultationem aliasque explorandi methodos adiunctis exercitationibus practicis d. Lun. Merc. Ven. h. II-III docebit.
III. Privatissime offert cursum diagnosis morborum internorum.

I. Hirschberg, Dr.
I. Gratis introductionem in studium ophthalmologiae physicam et anatomicam bis per hebd. tradet.
II. Privatim ophthalmologiam practicam adiunctis demonstrationibus quater p. hebd. docebit.



S. Kristeller, Dr.
Per hoc semestre scholas non habebit.

E. Kvester, Dr.
Privatim res technicas in chirurgia militari hor. def. tractabit ita ut 1) aciurgiam militarem doceat, 2) de applicandis fasciis apparatibusque in laesionibus militaribus, 3) de transportandis laesis agat.

R. V. Krœnlein, Dr.
I. Gratis de herniis abdominalibus semel p. hebd. disseret.
II. Privatim diagnosticen chirurgicam iunctis demonstrationibus et exercitationibus practicis ter p. hebd. docebit.

G. A. de Laver, Dr.
Propter valetudinem adversam per hoc semestre lectiones non habebit.

L. Mayer, Dr.
I. Gratis 1) de febri puerperali d. Sat. h. V-VI; 2) de partium genitalium muliebrium tumoribus d. Merc. h. V-VI disseret.
II. Privatim gynaecologiam demonstrationibus adiunctis d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V-VI docebit.

E. Mendel, Dr.
I. Gratis 1) de imputabilitate cum demonstrationibus in usum tam medicinae quam iuris studiosorum d. Merc. h. VI-VII disseret; 2) anatomiam macroscopicam et microscopicam et physiologiam cerebri ad usum psychiatriae d. Sat. h. VI-VII docebit.
II. Privatim psychiatriam et morbos systematis nervosi cum demonstrationibus et exercitationibus practicis d. Lun. Merc. Iov. Sat. h. V-VI tradet.

A. Mitscherlich, Dr.
Privatim chirurgiam generalem et specialem adiunctis demonstrationibus sexies p. hebd. hor. postmodum def. tradet.

L. Perl, Dr.
I. Gratis balneologiam et balneotherapiam semel p. hebd. hor. def. docebit.
II. Privatim capita selecta pathologiae et therapiae specialis ter p. hebd. hor. def. tractabit.

I. Pincvs, Dr.
Gratis 1) de morbis capillorum et unguium d. Lun. h. V-VI; 2) de morbis qui genitalium irritatione exoriuntur d. Iov. h. V-VI disseret.

F. Ravoth, Dr.
Gratis de nosocomia et nosocomiis d. Sat. h. V-VI disseret.

L. P. Riess, Dr.
Privatim 1) de morbis cordis una cum theoria auscultationis et percussionis bis p. hebd. h. V-VI docebit; 2) selecta capita pathologiae et therapiae specialis ter p. hebd. h. V-VI tractabit.

G. Sander, Dr.

I. Gratis psychiatriam docebit adiunctis demonstrationibus bis per hebd. hor. def.

II. Privatim cursum instituet practicum in dignoscendis atque in foro arbitrandis mentis morbis quater per hebd. hor. def.

I. Schiffer, Dr.

I. Gratis de doctrina electricitatis in medicorum usum semel p. hebd. hor. def. disseret.

II. Privatim explorandi methodos tam physicas quam chemicas iunctis exercitationibus diagnosticis bis p. hebd. docebit.

H. L. Schœler, Dr.

I. Gratis selecta capita ophthalmologiae cum demonstrationibus practicis bis per hebd. hor. def. tradet.

II. Privatim cursum ophthalmoscopicum ter per hebd. hor. def. instituet.

I. V. Schœller, Dr.

Privatim tocologiam sive artem obstetriciam theoreticam et practicam docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV-V.

H. Senator, Dr.

I. Gratis de morbis infantium d. Sat. h. III-IV aget.

II. Privatim semioticen et diagnosticen universam et chemicam et physicam iunctis demonstrationibus et exercitationibus practicis ter p. hebd. tradet.

O. Simon, Dr.

I. Gratis de morbis syphiliticis adiunctis demonstrationibus practicis d. Sol. h. X-XI, d. Iov. h. VIII-IX exponet.

II. Privatim de morbis cutis adiunctis demonstrationibus practicis et microscopicis d. Sol. h. XI-XII, d. Mart. et Ven. h. VIII-IX disseret.

E. Steinaver, Dr.

I. Gratis toxicologiam experimentalem tradet d. Ven. h. III-IV.

II. Privatim materiam medicam experimentis adiunctis artemque formulas medicas rite concinnandi d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. III-IV tradet.

A. Tobold, Dr.

I. Gratis laryngoscopiam iunctis exercitationibus practicis d. Mart. h. II-III docebit.

II. Privatissime cursus laryngoscopiae offert.

F. E. Weber-Liel, Dr.

I. Gratis otiatricen practicam d. Sol. h. X-XII docebit.

II. Privatissime cursum otiatrices practicum adiunctis exercitationibus et demonstrationibus hor. def. instituet.

A. Wernich, Dr.

Per hoc semestre scholas non habebit.



I. Wolff, Dr.

I. Gratis de morbis urethrae, vesicae urinariae, recti, cum demonstrationibus d. Iov. h. IV-V disseret.

II. Privatim 1) chirurgiam generalem et specialem adiunctis demonstrationibus d. Lun. Mart. Ven. h. IV-V docebit; 2) artem fasciarum ligandarum cum exercitationibus d. Merc. et Sat. h. IV-V docebit.

G. Zvelzer, Dr.

I. Gratis statisticen medicam praecipue nosocomiorum tradet d. Sat. h. III-IV.

II. Privatim capita selecta pathologiae et therapiae specialis d. Lun. Merc. Iov. Ven. h. III-IV docebit.

# IV. ORDINIS PHILOSOPHICI.

## 1. *Professorum ordinariorum.*

H. E. Beyrich, Dr.

Privatim 1) palaeontologiam d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X-XI; 2) geognosiam ratione praecipue habita formationum Neptuniarum d. Merc. et Sat. h. II-IV docebit.

A. Bravn, Dr.

I. Publice colloquia botanica moderabitur d. Ven. h. VI-VII.

II. Privatim botanicen specialem docebit, familiarum regni vegetabilis conspectum proponens et plantas praesertim usui medico et oeconomico inservientes demonstrans d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. III-IV.

E. Cvrtivs, Dr.

I. Publice exercitationes archaeologicas moderabitur d. Merc. h. I-II.

II. Privatim 1) historiam et geographiam Graeciae tradet quinquies p. hebd. h. XII-I; 2) mythologiam Graecam exponet musei regii monumenta illustrans d. Merc. et Sat. h. IX-X.

H. G. Dove, Dr.

I. Publice meteorologiam explicabit d. Mart. h. VI-VII.

II. Privatim physicen experimentalem demonstrabit d. Merc. et Sat. h. III-V.

I. G. Droysen, Dr.

I. Publice exercitationes societatis historicae moderari perget d. Sat. h. VI-IX.

II. Privatim 1) de fontibus historiae recentioris disseret d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV-V; 2) historiam universalem aevi recentissimi d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. V-VI enarrabit.

H. Ebel, Dr.

I. Publice diphthongos explicabit d. Merc. h. XI-XII.
II. Privatim 1) grammaticam Graecam cum Latina comparabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII; 2) grammaticam linguae hibernicae veteris docebit d. Lun. Merc. Ven. h. XII-I.

G. Fœrster, Dr.

I. Publice 1) theoriam telescopiorum tradet d. Lun. h. II-III; 2) cum Prof. Tietjen doctrinam et praxin methodice computandi docebit hor. def.
II. Privatim artem emetiendi temporis intervalla, nec non angulos et dimensiones lineares docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. I-II.

H. Grimm, Dr.

I. Privatim artium renascentium historiam enarrabit d. Merc. et Sat. h. XI-I.
II. Privatissime et gratis exercitationes ad artis historiam tractandam pertinentes moderari perget d. Lun. h. VI-VIII.

F. Harms, Dr.

I. Publice historiam philosophiae inde a Kantio d. Merc. et Sat. h. XII-I enarrabit.
II. Privatim logicam et metaphysicam d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I tradet.

H. Helmholtz, Dr.

I. Privatim 1) physices experimentalis partem priorem i. e. physicen corporum ponderabilium, acusticen et theoriam caloris tradet d. Lun. Mart. Merc. Ven. Sat. h. XII-I; 2) physices theoreticae elementa docebit iisdem diebus h. I-II.
